

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Eidem

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

chioni. Ego hactenus non uolui accendere discor-  
dias. Ideo multas multorum iniurias pertuli, meq;  
hac uoce consolari soleo: Quod est ex Deo, non  
dissoluetur. Simplici & pio animo quæsiui & reci-  
taui summam doctrinæ Ecclesiæ. Et mihi nec poten-  
tiam, nec opes quæsiui. Et oro filium Dei Domi-  
num nostrum Iesum Christum, ut me regat, & ser-  
uet harum regionū Ecclesias. Quæso ut mihi scri-  
batis, an uelit illustrissimus Princeps Elector Mar-  
chio, ut unā communis responsio mittatur. Bene et  
feliciter ualete. Die 26 Nouembris, anno 1551.

Cogitavi de forma pia, & quam sperarem con-  
cordiæ profuturam esse: & nō grauati ueniā ad  
colloquium, de re tanta cum alijs conferendi.

Eidem.

S. D. Venerandæ domine Georgi: Videtis hunc  
annum fatalem esse & multis principibus, & mul-  
tis doctis & bonis uiris. Si igitur ex epla aliquo mo-  
do mouēt animos ut feramus æquabilius talia, qua  
lia alij mediocres & non mali ferunt: hanc etiam  
consolationem cogitate. Sed habemus alias conso-  
lationes potiores, quarū præcipua est, quod Deus  
adfirmat sese habitare inter adstrictos, inuocantes  
ipsum. Scripsi ad uirum clarissimū, dominum Can-  
cellarium: sed quantum mea intercessio hoc tem-  
pore uobis prodesse possit, uos ipsi iudicare pote-  
stis.

stis. Si irasci uolet uictor omnibus, quorum reperiuntur literæ significantes uoluntatem non alienã à nostris Ecclesijs, aut principibus: nimis durus erit in uictoria. Iulius totos literarum fascēs, priusquàm legerentur, iussit cremari. Idem uictoris clementiam deceret. Bene ualete, in Pentecoste 3056.

ANNO 47.

Eidem.

S. D. Reuerende uir, & amice charissime: Et si gratulari debemus ijs qui in inuocatione filij Dei ex his miserijs ad cœlestis Ecclesiæ consuetudinem euocantur: tamen Reipublicæ causa dolendum est, bonos & utiles uiros à gubernatione abduci. Gregorium dilexi propter multas eius uirtutes, & doleo Rempublicam eius ingenio orbatam esse. De uestris decretis quid scribã? Opto Ecclesiæ piã tranquillitatem, & spero Illustrissimũ Principem quãdam mitigaturum esse. Nondum scripsi de Canone, impeditus alijs negocijs. Adolescentẽ filium consulis commendaui uiro docto Franco. Illyrici libellum mitto. Mitto et filio uestro orationes, quarum ei lectio non inutilis est. Bene ualete, idibus Martijs, quibus ante annos 1592 Iulius interfectus est: quo exemplo Deus nos monuit, ut in secundis rebus moderati simus, & petamus nos diuinitis regi. Serua ò Deus miseram Ecclesiæ tuæ reliquias, inuocantes te, & gementes propter superbiam pontificum,

r s ficum,